

GEORGII WOLFFGANGI
WEDELI,

Med. Doctoris, Confiliarii & Archiatri
Ducalis Saxonici, Theoretices Professoris
Ordinarii,

h. t.

FACULTATIS MEDICÆ DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

De

*NATURA MORBORUM
MEDICA.*

J E N Æ,
LITERIS KREBSIANIS,

Pathol. gen.

218,76

*Natura medicinalis
Therap. 54.*



Sororium idque perpetuum est naturæ & artis consortium, divisæ operæ, mutua societas, ut, in mutabili quidem hominis statu, nec natura arte, nec ars naturâ carere queat. Optimè huc quadrat illa apud *Stobæum* *serm. 58.* sententia: ἔτε φύσις ἰκανὴ γίνεσθαι τέχνης ἄτερ, ἔτε πᾶν τέχνη μὴ φύσιν κεντημένη. *Neque natura sine arte sufficit, nec ars per se sine presidio natura.*

Quod si verò comparatio instituatür & de prærogativâ alterutrius disquisitio, utrum ars naturæ, an hæc illi præferenda sit, videtur primâ fronte res non adeò facilis decisu. Natura quædam sola præstat & absolutè, nullo artis interventu, quod in actionibus naturalibus ad oculum videas; quædam facit adjuncta ab arte, remotis remoris obstantibus, & suggestis aliis congruis; quædam tamen arti relinquit præcipua, stans post principia, nec ipsa sibi sufficiens, exemplo luxationum & aliorum. Nihilominus, si rem æquâ libremus lance, palma naturæ, obsequii gloria arti relicta est, cum nihil invitâ possit præstare minervâ.

Verissimum *Coi* est effatum: *ἕστων φύσις ἰατρῆς, morborum nature medici l. 6. epid. s. 5. r. r.* dignum dilucidatione, idque tanto magis, quod ut omnium rerum, ita & hypotheseon, ne dicam veritatis, quædam vicissitudo est.

Naturæ decantatum per tot secula nomen hodiè non pauci expunctum eunt, invisum id habentes & levius, minusque dignum Philosopho. Enimverò cum non refutandi, nedum innovandi & pervertendi studio, sed inquirendi provehamur amplius in scientiarum adyta, operæ pretium fuerit, hæc paulo curatiùs iustrare.

Per naturam indubiè intelligitur principium internum
mo-

motus, idque cum latius pateat, complexus causarum & operationum in corporibus viventibus, sub illo animæ & corporis vinculo, illiusque præsidio, concurrentium. *Φύσεις* hinc nominat in plurali, partim ratione generis, quod non una sit natura quoad regna diversa; partim ratione speciei humanæ & subiectorum diversorum, ὅτι *Φύσεις Φυσίων μέγα διαφέρουσιν*, quod *nature à naturis multum differunt*, ut alibi loquitur, *l. de artic. c. 5. t. 6.* Adde, ad exprimendam illam latitudinem causarum sub hoc complexu militantium.

Innuere itaque vult, archeum omnium actionum præsidem esse in corpore, adeoque eundem & morborum fabrum esse & sanitatis, illorum invitum vel quasi, & abientem à suo statu, horum studio, unde *Φύσις αυτομάτη*, sponte suâ huc inclinans est natura, *l. 1. de diet. c. 14. t. 3.* Aversatur quippe sui internecionem ac destructionem. Hinc pro diversitate ætatis, temperamenti, habitus corporis, ac maximè omnium pro humorum vitalium, sanguinis & feri, statu, (*καὶ ταῦτ' εἶναι ἡ φύσις τῆς σώματος, καὶ διὰ ταῦτα ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει*, atque hæc sunt corporis natura, & per hæc & egrotat & sanum est, *l. de nat. hum. c. 5. t. 10.*) variat & sanitas, & curatio morborum. Videas in aliis febres mitius, in aliis ferocius efferari, vulnera etiam levia in quibusdam malè cedere & cacoethica evadere, in aliis etiam gravia opinione citius curari.

Præstat id ipsum, morborum putà medicationem, natura calore vitali blandoque, fovendo, digerendo, alterando, separando, unde effectus consequuntur varii, critici imprimis hinc dicti, seu per excretionem manifestam & completam, per sudorem, hæmorrhagiam, aliosque modos, seu per manifestam & incompletam, exemplo exanthematum, & abscessuum; seu per ipsam quoque ἀδηλον διαπνοήν, minus manifestam & insensibilem transpirationem.

Accedit motus continuus, unde advehitur ad partem nutrimentum, & fit v.g. in vulneribus, ulceribusve & aliis appositio successiva, immutatio ad pristinum statum, & tandem coalitio ipsa, velut obsignatâ parte & intimè iterum unitâ.

): (2

Vide-

Videmus id in ipsis arboribus læsis, quando τὸ Φυτόν νοσῆς, *planta egrotat, l. 4. de morb. c. 4. t. 1.* vel arte factâ incisione, & gemmâ seu oculo inserto, *l. de nat. puer. c. 34. t. 1.* vel alio ex casu, reparari vulnus hoc & labem sponte naturæ, modò adjuvamentum debitum fiat; multo magis in viventibus id locum invenit, ubi motus evidentior & sensus delicatior est. Adeoque fluidis in ordinem redactis, depletâ quantitate superfluâ & onerosâ correctis qualitatibus morbosis, viscido, tenui, acido, acri, bilioso, falso, restituto motu debito, redit integritas, & incolumitas vitæ.

Hæc omnia ambit & effecta dare laborat natura, tardius quidem paulo sibi relicta & difficilius, non rarò sub onere succumbens, ocyus verò & facilius si accedat medicinæ ministerium. Medicus enim singula decenter inquirens, eruens, æstimans, tollit remoras, aufert obstacula, juvat naturam, jacentem erigit, moderatur & placat irritatam & velut eccentricam, & media debita ex artis legibus, quantum potest, suppetat.

Archeus ergò medicamenta actuat, & morbis averruncandis, quibus licet, studet modis, tum universalis, toti dispiciens, tum particularis viscerum & harum illarumque partium. Hinc natura est morborum medica, si sit sui juris, non impedita, ablatis remoris, morbo si non major, tamen non inferior, robusta, & adjuta.

Incumbit morbo, ut loqui amant chimici nonnulli, velut ovo gallina, donec ad frugem reducantur à statu suo pristino dilapsa, addit, minuit, separat, unit, expellit à centro ad circumferentiam & habitum corporis, imò & non rarò cedit, & partem intermori finit, revocatis spiritibus stationariis, & excubitoribus, ut vel sic ab interitu se vindicet, quem omnibus modis abhorret & deprecatur, avertitque.

Medicus ubique magistram hanc sequitur, fert suppetias, & juvat pro humani ingenii viribus; manet enim minister naturæ medicus etiam jacentis, non patronus, nec herus, fecus ac *Helmontio* visum est, *l. ignot. hospes morbus t. 90. p. m. 404.* Quid enim

enim

enim præstiterit medicus, nisi, favente divino numine, actuet
& duci flectique se patiatur vel erigi quoque natura, ut è ja-
cente sedens fiat, ut loquitur *idem*, l. *potest. medicam.* t. 17. p. 379. Ita
sanè Φύσις ἐξαρτῆς πάντα παῖσι, *natura omnibus subvenit*, teste lau-
datissimo *Coo* nostro l. *de alim.* c. 4. t. 1. unde annuente archeo,
concurrente & robusto, benè omnia cedunt, & contrà. Φύ-
σις γὰρ ἀντιπερὶ τῆς φύσεως κενεὰ πάντα. *Naturâ enim repugnante irri-
ta omnia & vana*, l. *de lege*, c. 2. t. 10.

Hoc ipso loco, quamvis alio paulo sensu, ἀντίπερὶ τῆς natu-
ræ asseritur ipsi, cui si id adscribamus, uti verissimum est, miran-
dum est esse, qui ἀντίπερὶ τῆς φύσεως viscerum non dari contendunt, vel
illo ordinario scopulo offensi, quod veterum illa fit, non nova
cantilena. Nescio enim, annon vicissim de quibusdam recen-
tioribus hypothesebus dici & huc applicari queat illud *Plauti-
num*:

*Nam, nunc novæ quæ prodeunt, sententiæ,
multo sunt nequiores, quàm nummi novi.*

Sed nostrum non est movere istam camarinam, qui veteri-
bus & recentioribus ex æquo suam conferimus gloriam. Su-
perest, ut usus quosdam delibemus canonis recepti Hippocra-
tici. Non tam sola confortanda est natura, quod ipsa sit mor-
borum curatrix, ut effectrix, quàm auferenda quoque obstacu-
la, formandæ indicationes debitæ demonstrativæ, ut in viâ re-
giâ incedentes panaceam omnium morborum sectemur ge-
minam, naturam, & medendi ab eâdem suggestam metho-
dum. Interim relinquendæ sunt naturæ potiores semper par-
tes, ne illam oneremus, nec destituamus, nec impediamus, &
cum prodesse non possumus, ne noceamus saltim.

Mutua sunt officia, magistræ hujus, modò non infultos
de eâdem formemus conceptus, & ministri medici, quæ causæ
fociæ in debellando hostico morborum exercitu nunquam sunt
divellendæ. Hæc ipsa etiam ratio est omnis activitatis medi-
camentorum, seu effectum sortiantur expetitur, seu alium
quoque, exemplo purgantium, opiatorum & similibus. Sæpe
enim purgantia non purgant, sed somnum, vomitum, sudorem

);(3 & uri-

& urinam movent, & contrà ea ab opiatis non rarò laxatur al-
vus, vel vomitus consequitur.

Tacemus plura alia ex hoc fonte derivanda, hæc enim
præfari volumus occasione **DISPUTATIONIS INAUGU-
RALIS, DE MORBILLIS, Clarissimi**

**BONAVENTURÆ MULLERI, BERNAVIENSIS,
Medicinæ Doctorandi dignissimi.**

Natus is est BERNAVIAE Marchicorum, Anno M DC LXV.
die 4. Octobris S.V. Patre Viro Maximè Reverendo, Amplissi-
mo & Excellentissimo **ANDREA MÜLLERO**, Greiffenhagio,
tum temporis Pastore & Præposito ibidem ac Diæcesios In-
spectore Ecclesiastico, postea verò Berolinensi Pastore, Inspe-
ctore & Præposito, itemque Serenissimi & Potentissimi **ELE-
CTORIS BRANDENBURGICI, FRIDERICI WILHELMI
MAGNI**, gloriozæ memoriæ, Consiliario Consistoriali; nunc
autem post impetratam bonâ cum gratiâ dimissionem, quam
multoties ipsum ab eodem incomparabili **ELECTORE** frustra
flagitasse meminit, Ecclesiæ Christi & reipublicæ literariæ pri-
vatam operam impendente, Theologo & Polyhistore celeberrimo.
Mater est **EMERENTIA GERBERIA**, **PAULI
GERBERI**, mercatoris quondam & Senioris Domus, quam
vocant, rei nauticæ in inclytâ urbe Stetino, Pomeraniæ ocello,
filia.

Formatus ad pietatem & literas, simul per ætatem licuit,
ab anno M DC LXXIX. curæ Præceptorum, Gymnasii Berli-
nensis traditus classi primum secundæ, mox primæ adscriptus
duces habuit Præclarissimos Viros, inprimis verò **M. GODO-
FREDUM WEBERUM**, Rectorem, **M. FRIDERICUM MADEWEI-
SIUM**, t. t. Conrectorem, nunc Halæ Saxonum Electoralem
Postarum Præfectum, **M. SAMUELEM RODIGASTIUM**, antea
Facultatis Philosophicæ Adjunctum in hâc Salanâ, postea illius
in Conrectoratu successorem, item **PETRUM BREDOVIUM**, Sub-
rectorem, & **M. MARTINUM BUSSIUM**, t. t. Subconrectorem,
jam Rectorem Corbuziensem, quorum in docendo fidelitatem
maximoperè deprædicat. Inter

Inter hæc Gloriosissimus PRINCEPS è singulari, quâ in Parentem ferebatur, gratiâ, & proprio quidem motu primas preces ad vacaturum proximè Canonicatum Magdeburgicum clementissimè ipsi indulgit. Hinc Reverendissimo Capitulo ad S. Sebastianum Anno M DC LXXX. d. 4. August. nominatus, & vacante loco, eodem anno d. 21. Novembr. promotus, die verò 1. Febr. anni sequentis receptus est. Hâc in statione mansisset, nisi studiis potius vacandum fuisset in Academiis. Sicque, annuente iterum Optimo ELECTORE, alteri jura sua cessit, nuncupatis ideò pro Augustissimæ Domus Brandenburgicæ flore incomparabili votis ardentissimis.

Dicto autem Gymnasio oratione publicâ de *Scientiarum decremento* valedicens ad Academiam Lipsiensem missus, & anno M DC LXXXIII. in numerum studiosorum receptus est. Ut autem in studiis laudabiliter navaret operam, non solum privatissimâ usus est informatione M. GABRIELIS REUSSELI, quondam Facultatis Philos. in hâc Academiâ Adjuncti p. m. sed secutus etiam tum hîc, tum alibi Philosophos & Medicos Excellentissimos ac Celeberrimos.

Inter illos deprædicat D. VALENTINUM ALBERTI, L. OTTONEM MENCKENIUM, L. ADAMUM RECHENBERG; Inter hos D. GODOFREDUM WELSCHIUM, D. MARTINUM FRIDERICUM FRISIUM, D. PAULUM AMMANNUM, & cum primis D. JOHANNEM BOHNIUM, cujus Prælectionibus Physiologicis, Pathologicis, Chirurgicis, & Demonstrationibus Anatomicis in utroque sexu interesse magni omninò fecit. Disputationem quoque publicam de INFLAMMATIONE ejus sub Præsidio M DC LXXXVI. non sine applausu singulari defendit.

Parentem dein Optimum revisens Ann. M DC LXXXVII. Viennam à S. CÆSAREA MAJESTATE longè clementissimè vocatum comitatus non tantùm urbes, satis celebres vidit, sed & Viris unâ magnis & inclutissimis innotuit. Rediens almam hanc Salanam adiit ad perficienda æquè ac maturanda studia feliciter jam provecta.

Speciatim hîc gratissimo animo agnoscit eruditissimos discipulos.

scur.

scursus D. RUDOLPHI WILHELMI CRAUSII, Praxeos & Chimiæ P. P. & Collegii nostri Senioris venerandi, æquè ac fidelissimam manuductionem in demonstrationibus Botanicis D. AUGUSTINI HENRICI FASCHII, Anatom. Chirurg. & Botan. P. P. & Archiatri Ducalis Saxonici. Meâ quoque indefinenter usus est operâ in universæ Medicinæ Theoretico & Practico ambitu, quem indefesso studio emensus, hoc ipso moribusque optimis, ut & pietate, modestiâ, eruditione solidâ universis & singulis se apprimè commendavit.

Ut verò exercitamentis Clinicis adsuesceret, quæ curatè hauserat in usus deducturus, consilio Parentis & nostro, id affectus est favore insolito D. JOHANNIS CHRISTOPHORI ZOPFII, Archiatri Rutheni, Physici Gerani & Gymnasii Professoris gravissimi, ejusdem convictu & ductu per sex menses & amplius usus, quod grâtissimâ mente recolit.

Ut ergò coronide studiis academicis impositâ aliis commodare utilem operam possit tantò præsentius, petitione decenti pro capessendis honoribus in arte summis Facultatem nostram adiit. Adnuit eadem & exploratione factâ profectus quales sibi persuaferat, id est, genuinos & insignissimos apprehendit.

Cumque, sub præsidio FASCHIANO, Disputationem Solennem laudatam d. X. Augusti habiturus sit, à Magnifico Pro-Rectore, Magnifico Pro-Rectore Designato, Academiae Proceribus & Hospitibus omnium ordinum honoratissimis per officiosè & amicè peto, ut actum hunc gratiosâ & benevolâ suâ præsentia cohonestare dignentur. P. P. Jenæ. Sub Sigillo Facultatis Medicæ, M DC LXXXIX. d. IV. August,

L. S.

